

hujus agant solemnitatis. Tunc abbas Elsinus, ut A erat prudentissimus, hoc illi refert protinus: Quomodo faciam istud, qui diem que istud faciare ignoro penitus. Dei nuntius respondit: In sexto Idus Decembris est dies celeberrimus hujus conceptionis; hunc ut celebres moneo, et celebrandum dicito quibus dicere potueris et qui scire voluerint. Tunc abbas Elsinus: Et quali, inquit, servitio jubes uti in hoc festo? Cui divinus nuntius respondit hoc velocius: Omne servitium quod dicitur in ejus Nativitate, dicitur et in Conceptione, sic ubi natalitium in Nativitate dicitur, Conceptio in hac celebritate dicitur.

Prædictus abbas postquam talia audivit, Deo gratias reddidit, et devotissime vovit se servaturum quod audiverat divinitus jussum. Statim ut hoc vovit, tempestas cecidit, et serenitas rediit. Vento igitur prospero redeunt, et in Angliam alacres veniunt. Statuit quoque in Ramesiasensi Ecclesia, cui ipse abbas præerat, ut hoc festum omni anno solemniter sexto Idus Decembris celebretur, multosque ad celebrandum devotissime invitavit. Hujus solemnitatis celebratoribus detur a filio ipsius Virginis Domino nostro Jesu Christo pax et longa vita, et post transitum hujus vitæ æterna requies concedatur. Amen. Explicit miraculum de conceptione sanctæ Mariæ.

PASSIO

SS. GUINERI, FINGARIS, PIALÆ, ET SOCIORUM ²⁸⁵

Poscis fideliter satis, clarissime, martyr sacri Guineri sociorumque ejus admirabilem vitam, quam prius brevibus notulis retinebas, victoriæque triumphum latiori tibi explicari sermone. Cupio sane devotioni tuæ parere devotus; et si non digne, ut gestorum fortium deposcant magnalia, tamen pro ingenii facultate sanctorum laudibus occupabor intentus, quoniam laus militis gloria est imperatoris, et dum sanctorum virtutes narrantur, Christi gloria prædicatur. Spondet ergo devotio quod negat scientiâ, et sanctorum fides, quod non promittit facultas, totum eorum præsumam de meritis. Nec de cloquii paupertate confundar, quoniam pro certo non in nitore sermonis consistere regnum Dei monstravit, qui ad sui gloriam prædicandam idiotas et piscatores elegit.

CAPUT I.

Sancti Patricii prædicatio in Hibernia, et Fingaris principis conversio.

Gloriosus equidem et prædicandus ubique Domini confessor Patricius, cum in Cornubiæ partibus sanctis actibus moraretur intentus, admonitus est voce angelica ut Hiberniæ insulam, fidem Christi in ea prædicaturus, adiret. Tunc fidelis servus et prudens, Domini visione comperta, sine mora surrexit, et locum sibi præsignatum a Deo, in nullo barbaræ et incredulæ gentis expavescens feritatem, expetit. Cujus adventu, fama vulgante, præcognito, septem nominatæ jam insulæ reges cum pontificibus idolorum, cum satrapis ejusdemque gentis non minima D multitududine in sancti convenere occursum. Hos sanctus Domini fide integer et devotione plenus aggrediens, cæpit eis Evangelium Christi cum fiducia prædicare, et in Jesu evangelizare salutem. Verum

B quia vas plenum absinthio, nisi prius amaritudine pulsa, alterius liquoris non admittit dulcedinem, illi adhuc pleni spiritu superbo doctrinam salutis recipere noluerunt. Sed cernentes humilitatem, et vilitatem habitus attendentes, non thesaurum latentem interius, sanctum et vere apostolicum virum penitus contempserunt. Fuit inter jam dictos reges nobilior unus ac potentior omnibus, nomine Clito. Huic erat filius adolescens bonæ indolis, vocabulo Fingar. electione divina præcognitus et sancti Spiritus jam gratia perfusus. Hic ex universis solus sancto assurgens Patricio, quo potuit honore, virum Dei suscipiens cessit, et in loco quo sederat ipse, cum sedere fecit.

CAPUT II.

C *Fingaris ac sociorum pro fide exsilium.*

Iratus pater severus, et indignatione grandi succensus in filium, dicens quod deorum suorum intenderet evacuare culturam, et novam Christianorum per sanctum Patricium introducere legem, regno expulit, et solo fecit exhæredem paterno. Cui plures ex nobilibus Hiberniæ procreati adolescentes, dulcissimo amore conjuncti, pariter profecti coexules, terra marique minorem in Britanniam pervenerunt. Quo audito, judex Britanniæ in teriam suam novos accolos adventasse, eos sibi exhiberi præcepit ²⁸⁵, et diligenter inquirens qui essent, ad quid vel ²⁸⁶ unde venissent, responderunt se de Hibernia pulsos; serioque proscriptionis suæ ratione exposita, petierunt ut in provincia ²⁸⁷ sua locum habitandi atque ²⁸⁸ licentiam eis concederet pro sua clementia. Ingenuitate vero adolescentum comperta, simulque exsili causam dux agnoscens, summa eorum petitioni liberalitate assentiens, tantum eis terræ ad

VARIÆ LECTIONES.

²⁸⁵ Collata est cum ms *Victorin. MMM. 18 in quo non est distinctio capitulorum* ²⁸⁶ Exhiberi percepit n. ²⁸⁷ Ut si provincia ms ut in provincia ²⁸⁸ Sua locum atque ms sua locum habitandi atque

habitandum concessit, quantum unus equitando A posset currere per diem; præcepitque venerationi habendos, et maxime Fingarum censuit excolendum. Domini igitur gratiam in omnibus consecuti diliguntur ab omnibus, ab omnibus honorantur, et cum indigenis de cætero novi hospites familiariter habitare cœperunt.

CAPUT III.

Occasio secessus Fingarum a sæculo.

Sed cum jam providentia summi Dei thronem suum Fingarum suis acrius vellet applicare obsequiis, tali eum arte discrevit. Die quadam cum suis consortibus ad venandum egressus, repertum canes cœperunt agere cervum, qui cum canibus impotente infestantibus ea qua illud animal solet fieri velocitate aufugeret, solus Fingar cum canibus, relictis sociis, B prosecutus est fugientem. Quid plura? cervum retinuit, occidit; et detracta pelle frustatim ²⁸⁹ concidens per artus equo imposuit, quasi reversurus ad socios, qui eum nebula obducente perdiderant. Sed cum respersam sanguine vestem ac cruentas manus vellet abluere, huc illucque circumspiciens non inveniebat aquam, et labarum cuspide in terra defixa, improvisi fontis gratissima manans vena defluxit. Laticis novi miratu fluentis, et illius virtuti factum deputavit, qui antiquum populum silice percusso potavit. Comparetur, si placet, factum antiquo ²⁹⁰ S. Clementis miraculo, nisi quod ille ²⁹¹ pede agni fontis cognovit thesaurum, iste acumine teli bullentem venam invenit. Denique cum lavandus se ad fontem disponderet, inclinans se in aquam, per umbram formosi vultus sui pulchritudinem attendens, C erat enim speciosus valde et decorus aspectu, cœpit laudare Deum et benedicere, qui tantam ei contulerat gratiam. Et ex illa hora se ei servituum tota devotione spondens, soluto de capite equi freno, liberum quo vellet ire permisit; ipse vero inter saxa sub quodam specu latitans, querecum glande aliquanto tempore vixit. Socii autem ejus per loca diffusi tota intentione quærebant eum, et cum non invenissent, anxii valde et dolentes reversi sunt ad habitaculum suum. Dominus autem Britannicæ cum audisset illum deesse, evocatis ad se sociis ejus, requirebat ab eis ²⁹² quo devenisset, vel quid de eo factum fuisset, et alligatos in custodia tradens, comminabatur jurans D se occisurum omnes, nisi ei veritatem indicarent: arbitrans ab eis in contentione vel litigio interruptum. Sed cur hominem occidissent, pro cuius amore natale solum reliquerant, laboresque sustinerant infinitos, terræ magisque discrimina toleraverant multa? Denique tristitia, qua afficiebantur pro eo, non homicidas, sed veros monstrabat amicos, et tales quibus credi non de odio, sed de amicitia debuisset. Exposito tamen qualiter inventionem cervi

decessisset ab eis, ad eum iterum inquirendum se offerunt, loca se monstraturos ubi socium perdidissent, si viros, qui eum sagacius scient inquirere, destinaret. Itum est, et multo labore inventus ad præsentiam ducis cum honore adducitur ²⁹³; et cum dux, de ejus inventionem lætus, facti benigne causam inquireret, respondit se omnino divinis mancipatum obsequiis, nec ulla unquam ratione ad sæculi deinceps posse redire officia; si tamen ei locum in quo constructo oratorio Deo quietius posset servire, pro sua vellet benignitate concedere, libenter susceperet. Dux vero benignus ejus voluntati favere consentireas, locum assignavit, et totam insuper terram, quam ei et sociis ejus prius ad habitandum concesserat, liberam ab omni tributo perpetuam delegavit in dotem. Ingreditur igitur electus Domini Fingar locum ducis clementia consignatum, prædiis ac possessionibus dotatum amplissime atque ditatum, ac mente tota ac devotione in cœlestis solius habitationem intentus habitaculum sanctificationis, in quo Deus perpetuo laudaretur, instituit. Accingit se deinceps servus Dei fortius ad opera fortiora, carnem domat, roborat spiritum, et prosequendo seipsum, seipsum perficiebat in Domino.

CAPUT IV.

Regressus Fingarum in patriam, et regni recusatio.

Post tempus aliquod ad locum nativitatis admonitus hortatu angelico redire jubetur. Quo cum Domini in omnibus præsidio fultus redisset, Hiberniam Christi legibus subditam, in confessione Christiani nominis gloriantem, et totam lavacro sancto perfusam invenit. Gaudens servi se dominum accepisse, Christiani fideles, consortem patronum; rogant eum, Clitone patre defuncto, suscipere regnum, cupientes defensorem talem habere C cujus providentia gubernaretur regnum et nova adhuc Christianitas tueretur. Tibi, inquiunt, excepto quod fidei Christianæ te cupimus habere fautorem, ex genere regius ²⁹⁴ honor debetur, ad te hæreditas pertinet, tibi hæreditario jure cedit possessio, Tum ipse: Parcite, inquit, charissimi; semel dedicatus sum Christo, illi soli me servituum devovi, ad officia sæculi deinceps reverti non possum, quoniam *nemo mittens manum ad aratrum, et respiciens D retro, aptus est regno Dei (Luc. ix, 62). Nemo militans Deo, implicat se negotiis sæcularibus, ut placeat ei cui se devovit (II Tim. ii, 4)*. Et cum rogantes pia importunitate instarent: In vanum, ait, fratres, tantis precibus laboratis; ego enim vobiscum diutius detineri non possum. Sed si vultis agere secundum meum consilium, eligite virum industrium ac fidelem, unum ex nobilibus patriæ, cujus providentia moderetur regnum, et Christianæ fidei tueatur religio; et illi germanam meam Prialam,

VARIE LECTIONES.

²⁸⁹ Frustratim *ms* frustatim ²⁹⁰ Cum antiquo *ms* omit. cum ²⁹¹ Nam qui ille *ms* nisi quod ille ²⁹² Requirebat eis *ms* requirebat ab eis ²⁹³ Ducis adducitur *ms* Ducis cum honore adducitur ²⁹⁴ Regis *ms* Regius

in uxorem s̄mu cum regno tradite. Fuerat autem ^A clarissima virgo Pīala, nobilissimi regis Clitonis filia, soror S. Guigneri, jam lavacro ²⁹⁵ purificationis regenerata in Christo. Sancti igitur instructi consilio virginem sacram alloquuntur de sponso. Quibus illa, tota in amore Christi fundata, respondit: Sponsus meus Christus est, qui me per suam gratiam regni sui elegit consortem. Huic fidem promisi quam violare non debeo; et ideo alium sponsum, præter ipsum, non possum suscipere. Regni hujus gloriam contemno, quæ non debet dici gloria, quia non potest carere miseria; et ad regnum, quod promittit Dominus Jesus Christus, suspiro, ubi non est dolor, vel tristitia, sed perpetua jucunditas, et lætitia sempiterna. Cernens autem ^B sanctus virginis intentionem in Christi solidatam amore, ita ut nulla possit ratione ad consensum conjugii flecti, ait: Sinite eam, fratres, nolite contra Dei beneplacitum niti; ipse sic voluit, et sic futurum providit. Regnum istud Dei providentiæ committamus; ipse secundum suam voluntatem providebit tutorem ac defensorem. Et omnibus vale dicens parabat protectionem.

CAPUT V.

Rursus Fingar solum patrum deserit cum insigni comitatu.

Secuti sunt eum septingenti septuaginta viri, et septem episcopi, quos sanctus Patricius per aquam incorruptionis Christo genuerat, pleni Deo, et divina lege instructi, cupientes beatæ peregrinationis ejus ^C esse consortes in Domino, inter quos fuit supradicta virgo Pīala, soror beati Guigneri. Sancto igitur consortio omnes adunati in Domino, simul cum patrono ad littus usque procedunt, repertoque pro voto navigio, navem omnes una conscendunt. Paululum jam altius navigando a terra discesserant, cum ecce virgo quædam, nomine Hya, nobili sanguine procreata, pervenit ad littus, felici sanctorum cupiens adunari collegio, cernensque procul a littoie jam remotos, nimio anxiebatur dolore, et fixis in terra genibus, manus et oculos ad sublimia erigens, mente consilium e cælo efflagitabat devota. Et modicum inferius relavans obtutum; contemplatui super aquas folium parvum, et protensa virga, quam manu gestabat, tangens illud volebat probare ^D an mergeretur; et ecce sub oculis ejus cœpit crescere et dilatari, ita ut dubitare non posset a Deo sibi illud obsequium missum. Et fide fortis, folium audacter conscendens, mirabiliter Dei virtute perlata ²⁹⁶ alterum socios prævenit ad littus. Hæsitandum non est de operibus Dei: nam qui transiuro populo mare Rubrum potenter divisit, et Eliæ Jōrdanem aperuit, et Petium supra aquas curriere fecit, ipse quomodo voluit, virginem suam transvexit.

CAPUT VI.

Appulsus in Cornubiam.

Socii vero datis velis æquoreos fluctus secantes, prospero cursu applicuere Cornubiam, ad portum qui vocatur Heul, ubi jam prævenerat eos sacra virgo Hya potentia Dei transvecta, et descendentes de navī quoddam habitaculum non longe a littoie invenerunt, in quo virgo quædam sancta manebat inclusa, et nolens sanctus Guignerus eam inquietare, salutata virgine, ad alium locum transiere pransuri, ubi cum aquam deesse cerneret sanctus, plena de Jesu Christo fiducia præsumens, oratione præmissa baculum in terra fixit, et confestim limpissima aqua sanctorum prosilivit in haustum. Post cibum vero proficiscentes inde, ad villam ^B quamdam, quæ vocatur Conetconia, pervenerunt, ubi quædam mulier fidelis et timens Dominum, nomine Coruria, non modicam eis exhibuit benignitatem. Nam cum omnes habitacula ejus capere non possent nec, habere stramen in quo omnes possent pausare, detectis domibus, culmum, quo operiebantur, in sanctorum accubitum commodavit, vaccam unam eis mulier charitate plena in cibum dedit; qua occisa, et ejus carnibus, prout oportuit, diligenter paratis, pariter comederunt. Denique, cœna in gratiarum actione completa, jubet sanctus Fingar nudata carnibus ossa omnia congregari in unum, et desuper ejusdem vaccæ pellem deponi. Tum confessores Christi omnes, qui cum eo erant, ad orationem invitatis, dicens: Oremus, fratres, ut ^C Deus pro cuius amore mulier officiosissime nobis istam servavit vaccam, ei restituat. Et oratione completa sub omnium oculis stans pulchrior quam ante fuerat, vacca apparuit. Deinde de lacte ejus sibi offerri mandavit, quo hausto, simpliciter deprecatus est Deum ut vena lactis uberior quam in aliis vaccis triplicaretur in illa; quod non solum in ea, sed in omnibus ²⁹⁷, quæ ex ea processerunt, factum esse narratur. Mane autem facto, cum jam iter agere vellent, respicientes viderunt omnia habitacula resecta et reparata ita ac si nunquam discooperta fuissent. Tunc fideles, qui prævio S. Guignero Christi vestigia sequebantur, per singula loca cernentes multiplicari mirabilia Dei, magis magisque confortabantur, et in fide et amore Christi confirmabantur. Et bene Christus debuit talibus consolationibus suos confirmare testes et consolari, quos per palmam martyrii in proximo disposuerat coronare. Mane autem facto, pergentes gradiebantur per loca quædam silvestria.

CAPUT VII.

Martyrium Fingarīs et sociōrum.

Sonuerat jam, pervulgante fama, in auribus Theodoricī regis Cornubiæ; in terra scilicet suā Christianam multitudinem advenisse; et timens odibris Deo tyrannus ne populum suum ad fidem

VARIAE LEGTIONES.

²⁹⁵ Lavacro ms jam lavacro ²⁹⁶ Pīolata ms. perlata ²⁹⁷ Sed omnibus ms sed in omnibus

Christi vellent convertere, conglobatis militibus ad locum ubi sanctos esse cognovit, truculentior fera eucurrit. Non expectat causam, rationem non quaerit, non vult audire sermonem, sed veniens improvisus a tergo, subito oves Christi leo cruentus aggrediens, perimit, trucidat atque prosternit. Cæduntur sancti, truncantur, dilaniantur, et alii amputatis capitibus, alii confossi gladiis inhumane, alii trucidati, omnes una die Christi martyres affecti, sacræ mortis compendio, perennis vitæ bravium perceperunt. Paululum S. Fingar tunc forte separatus a suis in valle quadam resedens operiebatur sequentes. Ubi cum solo baculum, quem manu gestabat, fixisset, mox ut ad se cambucam²⁹⁸ retraxit, fons e terra fecundus erupit; qui utrinque duplici saxo decenter inclusus, usque in hodiernum diem copiosa vena fluitare non cessat. Et subito audiens murmur in comitatu exurgere, miratus quid esset, festinans ad sanctos regreditur; cernensque passim immolari hostias Christi, et hostilem gladium confuse per²⁹⁹ sanctorum membra discurrere, paucis qui cum eo erant ait: Ecce, fratres, hic est locus pausionis nostræ, hic providit Deus finem dare nostris laboribus. Venite ergo, fratres, et libenter immolemur pro eo qui animam suam dedit redemptionem pro multis (Matth. xxi, 28). Non timeamus eos qui corpus occidunt, sed illum potius, qui potestatem habet et corpus et animam mittere in gehennam (Luc. xii, 5; Matth. x, 28). Et occurrens tyranno: Facis³⁰⁰, inquit, fili diaboli, opera patris tui. Et tyrannus ad eum: Tu, inquit, manus meas non evades, non effugies gladium. Tunc sanctus in hilaritate offerens acceptabile sacrificium Deo, baculo, quem manu gestabat, ex latere fixo cervicem præterendit intrepidus ut³⁰¹ ictum reciperet ferientis. Immanissimus vero tyrannus, arrepto³⁰² mucrone, fortiter nudam cervicem percutiens, amputato capite, Christi martyrem fecit. Et confestim sacri corporis truncus, caput machæra lectoris propria de cervice truncatum de terra collegit, et in montem, qui non longe distat a loco, propriis manibus poplite firmo incedens portavit. Erat villa quædam, in ejusdem latere montis sita, in qua cum mulieres litigantes audiret, litem loco imprecatur æternam, ut inibi habitantes inter se litigare nunquam desisterent. Unde, ut fertur, terra, licet fructifera, manet tamen inhabitabilis, in uno fecunditatis gratiam retinet, in altero sancti maledictioni subjecta. Sanctus igitur martyr nolens, pro tumultu, in loco repausare, resumpto iterum capite, alium vectitavit ad locum, ubi ipsum deponens, caput eruentatum diligenter lavit; in quo loco gratissimus fons jugi rivo usque hodie emanare non cessat; lavatumque diligenter resumens, portavit iterum illud in alium locum. Qui locus ab eo, in quo sancti

A martyres passi fuerant, interjecto parvo spatio cujusdam saltus aliquantulum disparatur³⁰³. Locus, qui de corpore sancti venam sanguinis defluentem³⁰⁴ suscepit, apertus continuo fontem edidit fecundum, qui usque hodie monstratur cernentibus. Unus autem ex militibus cum sancti martyris baculum ab eo loco, in quo eum proximus passioni defixerat, rapere vellet, cernit bifurco ramo duplicem jam erupuisse in frondem, et tanto tremefactus miraculo, non est ausus eum contingere. Cernitur usque hodie in testimonium sancti excelsa (ut dicitur) arbor ex baculo, virtute Dei exaucta; sed cujus sit generis ignoratur.

CAPUT VIII.

Sepultura sanctorum martyrum.

B Sanctorum adhuc corpora per campum inhumata jacebant, et ecce nocte quadam testis Christi eodem schemate, quo super montem in ulnis proprium caput detulerat, cuidam viro, nomine Gur, tertio in visu apparens, ut se sepeliret monebat. Expergefactus homo uxori visionem per ordinem narrabat, quomodo videlicet de sepultura esset persuasus a sancto. Mulier autem dissuadebat fieri, ne forte regis iram incurreret, et ob hoc mortis sententiam mereretur. In crastinum vero cum canibus in campum venaturus egrediens, cervum reperit, qui canum pernicitate insectatus fugiens, ad S. martyris glebam procumbit, tanquam ejus flagitaturus sanctitatis præsidium. Desinunt canes latrare, ac persequi cervum, et omni feritate laxata, pariter cum cervo quasi sanctum venerantes decumbunt. Contemplatur homo grande spectaculum, et repercussa mente in se reversus, quæ viderat noctu recogitans, divino illuc nutu se reputavit adductum. Et accipiens corpus sanctissimi martyris, veneratione qua potuit, tumulavit. Deinde sanctorum martyrum corpora studiose per campum requirens, sicuti jacebant, in campo sepelivit.

CAPUT IX.

Basilica in eorumdem honorem, et mira ibidem divinitus edita.

D Post tempus aliquantulum, cum jam vinea Domini Sabaoth, id est Ecclesia, Cornubiæ, terminos occupare cœpisset, inchoata est devotione fidelium super sepulcrum sancti martyris basilica. Et cum artificibus, qui in opere oratorii laborabant, necessaria decissent, nec aliquis ministraret, sanctus, suorum³⁰⁵ recordans qui ejus devotione famulabantur obsequiis, provincialibus circumquaque in visu nocte apparens monebat singulos, ut operariis cibum et necessariam opem ferrent auxilii. Venit tandem ad hominem quemdam, qui taurum habebat indomitum, monens ut ad operarios ductum³⁰⁶ eum eis largiretur in cibum. Mane autem facto, sollicitus homo de visione sancti, cœpit cogitare

VARIÆ LECTIONES.

²⁹⁸ Ad se sambucam ms ut ad se cambucam ²⁹⁹ Gladium per ms gladium confuse per
³⁰⁰ Gehennam. Facis ms gchennam. Et occurrens Tyranno, facis ³⁰¹ Præterendit, ut ms præterendit in-
trepidus, ut ³⁰² Erepto ms, arrepto ³⁰³ Saltus disparatur ms. saltus aliquantulum disparatur ³⁰⁴ Refluentem ms defluentem ³⁰⁵ Sanctus eorum ms. Sanctus suorum ³⁰⁶ Ductum eis ms ductum

qualiter posset animal cervicosum ac superbum A valde subigere, lorisque arctatum, quo sanctus martyr mandaverat, ducere. Et conscenso equo, ut quæreret taurum, egrediens cernit prius indomitum, modo Dei virtute mansuetissimum animal astare pro foribus, qui sponte ante dominum gradiens mansuetus recto itinere pergebat ad locum, ubi artifices in opere oratorii laborabant. Mactatur ³⁰⁷ bestia, et cernentes martyr sibi adesse auxilium, operi de cætero devotius institerunt. Aliud quoddam memorabile et dignum relatione in ejusdem quoque fertur basilicæ constructione contigisse miraculum. Unus quidam ex iis artibus qui in opere laborabant, cum in securi induceret, contracta in duo frusta divisa est. Turbatus homo, jurare cœpit et obtestari se in opere de cætero nihil facturum. Quod cum audisset operis procurator (vir quidem bonus, qui pro Deo basilicæ curam susceperat, et devote se mancipaverat obsequiis sancti), cœpit consolari hominem, et blandis tristem demulcere alloquiis, et accipiens frusta in nomine Jesu Christi, et fractionis ruinas conjungens, confestim meritis martyr gloriosi compaginatam et consolidatam est ferramentum ita, ut nullum de ³⁰⁸ cætero fracturæ vestigium appareret. Laudatur Deus in commune, et benedicitur, et homo, qui se de cætero nihil facturum juraverat, tanto confortatus miraculo fortior jam perstitit in opere.

CAPUT X.

Illata cœlitus supplicia in sacrilegos.

Sed quoniam sancti exorsus sum enarrare virtutes, illud inserendum credidi lectioni, quod et incredulis metum incutit et universos de sanctorum reverentia monet. Cum super saxum quoddam, quod fuerat anchora navis ejus, in contemptum sancti martyr, duo milites insuitando uinarent, utrum-

que confestim divina ultio percussit. Ambo enim arrepti a dæmone, alter eorum linguam frustatim concisam dentibus masticavit, alterius viscera per postrema diffusa sunt omnia, sic uterque exitu expiravit horrendo. Ecce ex hoc potest satis perpendi quanta sanctos vult Deus reverentia honorari, quorum contemptum tam districto disponit examine expiari. Super sarcophagum venerabilis cujusdam episcopi, qui de contubernaliis fuerat regis Clitonis, corruptor quidam gremia cujusdam mulieris incestare præsumpsit, qui more canum in ipso opere turpitudinis inseparabiliter copulati, nulla poterant ratione ab invicem separari. Adducuntur tandem ad memoriam martyr gloriosi Guigneri, ubi merito testis Christi, et intercessione fidelium liberantur. **B** Habebat præterea ædituus ³⁰⁹ martyr sacri vaccam; quam cum scelerati homines quidam furati fuissent, ducentes, super cornua ejus subito duo luminaria ardentia conspexerunt, et tanto tremefacti spectaculo, redeuntes in crastinum, vaccam sacristæ propriam reddiderunt, et aliam pro satisfactione commissi simul et pro indulgentia, supplicantes dederunt. Terra, cum fide et devotione, sancti de tumulo sumpta, per meritum martyr pellit languores, et perficit sanitates.

Hæc ego servus Christi Jesu Anselmus de passione sanctorum et virtutibus martyr pretiosi Guigneri, juxta fidem narrantium, brevi stylo digessi, ut habeant fideles, qui ejus speciali ³¹⁰ titulo gloriantur, quibus se lectionibus occupent, et patroni proprii fortia gesta cognoscant, et ob hoc nomen meum in fine subjunxi, ut per meritum martyr, et orationem fidelium, misericordiam merear Redemptoris Jesu Christi Domini nostri, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia sæcula sæculorum.

VARIÆ LECTIONES.

³⁰⁷ Mactabatur *ms* mactatur ³⁰⁸ Nullæ de *ms* nullum de ³⁰⁹ Aditus *ms* ædituus ³¹⁰ Spiritali *ms* speciali

JUDICIUM

DE STABILITATE MONACHI IN LOCO QUEM POSUIT

Tria sunt capitula, pro quibus mutare licet loca, **D** in quibus se stabiles esse promiserunt religiosi. Primum est, nimia paupertas; secundum, persecutio nimia; tertium, irreligiositas. Nam stabilitas in loco non promittitur nisi propter regulam servandam; quæ non constat in præceptis, ut multi æstimant, sed institutionibus. Aliter enim transgressores essent, quicumque per omnia regulam non servarent, nec de præceptis in arbitrio poneretur. Institutiones vero mutari, et fieri possunt ab abbate, si magis utiles sunt ad puritatem mentis, quæ sola querenda est coram Deo, et pro qua sola labo-

randum; non curandum de toto exteriori habitu qualis sit, sed quod scandalum non faciat. Inde Lanfrancus ad quemdam monachum: Indicatam est mihi quia de monasterio tuo recedere vis, sed de promissa stabilitate sollicitus es, ne unde Deum placare debes, inde magis offendas. De quo rationem ostendo, et in ostendendo me in exemplum sic do. Si ego Lanfrancus manu propria me de aliquo monasterio non recessurum jurassem, et vidèrem hoc quod animam meam salvare non possem; exirem, nec perjuri crimen incurrerem. Qui enim Deo propter Deum alligatur, non ab ipso nisi contra

ipsum solvit. Porro ab ipso contra ipsum non solvitur, qui propter amorem ejus, ut ei bene placeat, a filiis superbæ et dissidentæ, a filiis discordiæ, (et ut apertius dicam) a filiis diaboli migrat ad filios pacis et spei, humilitatis innuo filios Dei. Qui enim sic transit, nonne fugit a sede diaboli ad sedem Dei? Qui autem judicent eum damnandum a Deo, qui ut ad patrem, ut ad Deum, ut ad amicum, fugit ad ipsum? Præterea qui sic transit, non ab Ecclesia ad Ecclesiam transit, non enim plures sunt

A Ecclesiæ, sed una est toto orbe terrarum diffusa, et uni Deo ubique servitur; uni regi militatur. Postremo beatus Benedictus qui stabilitatem præcepit firmare monachum, ab alio monasterio ad aliud venientem jubet suscipi, et si bonæ vitæ fuerit, et stabilitatem suam firmet, suadet. Quam dubia et brevis sit vita hominis, et quam infinita sunt, quæ sequuntur bona vel mala, incessanter memorare.

MIRACULUM SANCTI JACOBI

A DOMINO ANSELMO EDITUM

De milite quem in agonia mortis a dæmonibus oppressum, beatus apostolus per mendicæ baculum et sacculum mulierculæ liberavit (1)

(Ex ms. Sangermanensi, n. 608)

Tres milites dioceseos Ludunensis Ecclesiæ de oppido Domezai sibi condixerunt ut orandi causa Jacobum apostolum oris Galitiæ adirent, et profecti sunt. Qui cum essent in via peregrinationis ejusdem mulierculam invenerunt, quæ res sibi necessarias in sacculo quodam ferebat. Cum autem equites intuita fuisset, rogavit ut sui miserti sarcinulam quam ferebat, in suis jumentis amore beati apostoli, deportarent, seseque tanti labore itineris allevarent. quorum unus peregrinæ petitioni annuens, ejus manticam suscepit et portavit. Igitur veniente vespera mulier insecuta milites, de sua sarcinula sibi accipiebat necessaria. Et primo gallosum cantu cum peregrini pedites proficisci solent, equiti sacculum reddebat, sicque expedita lætior agebat. Taliter miles amore apostoli serviens mulierculæ, ad locum orationis optatum festinabat: sed cum duodecim diebus ab urbe S. Jacobi distarent, pauperem infirmatum invenit in itinere, qui cum cœpit orare ut sibi equum suum ad equitandam accommodaret, quatenus ad sanctum pervenire posset; alioquin moreretur in via, quia amplius ambulare non poterat. Consensit miles, descendit, imposuitque mendicum super equum suum, ejusque baculum in manu sua accepit, ferens etiam proprio collo et sarcinulam mulierculæ quam susceperat. Sed cum ita pergeret, nimio solis fervore ac longi itineris solitudine constrictus infirmari cœpit. Quod ubi sensit, perpendens quia in multis sæpe multum offenderit, incommoditatem suam apostoli amore usque ad ejus limina pedibus eunte... toleravit: ubi apostolo deprecatō, et hospitio recepto, et eadem molestia quam in via ceperat, lecto decubuit, et aliquot diebus ingravescente langore jacuit. Quod alii milites qui ejus socii fuerant videntes, ad eum

B accedentes monent ut peccata sua confiteatur, et ea quæ Christianum referi petere quærat, suumque maturius exitum munit. Hoc ille audiens faciem avertit, et respondere non potuit, sicque per triduum sine verbi prolatione jacuit. Inde vehementer mœiore afflicti sunt, tum quia de ejus salute desperaverant, tum maxime quia suæ salutem animæ procurare non poterat. Quadam autem die quando eum citius spiritum ex hære putabant, illis circum-sedentibus et exitum illius præstolantibus graviter suspirans locutus est. « Grates, inquit, ago Deo, et S. Jacobo domino meo, quia liberatus sum. » Quod qui aderant quærentes quid significaverit: « Ego, inquit, ex quo sensi me languore gravari, mecum tacitus cœpi cogitare quod ego vellem peccata mea confiteri, sacra unctione liniri, et Domini corporis perceptione muniri. Sed dum hæc in silentio tractarem, subito venit turba tetrorum spirituum, quæ me in tantum oppressit, ut neque verbo neque signo ex illa hora innuere potuerim quod ad meam salutem pertineret. Et quæ dicebatis bene intelligebam, sed nulla ratione respondere poteram: nam demones qui ad me confluxerant, alii mihi linguam strangebant, alii oculos meos claudebant, nonnulli quoque caput et corpus meum ad libitum suum huc et illuc me nolente vertebant; sed modo paulo antequam loqui cœpisssem, intravit huc S. Jacobus, ferens sinistra manu mulierculæ sacculum quem in via tuleram, baculum vero mendicæ quem portavi dum idem equitarem equum meum, ipsa qua infirmitas me cepit in manu dextra tenebat; baculum enim habebat pro lancea sacculum pro palma: et confestim quasi furoris indignatione veniens ad me, elevato baculo visus est percutere demones qui me tenuerant, qui protinus fugerunt territi; quos ille

(1) S. Anselmo falso tribuitur.